

BUCOLICUM CARMEN I

MEDICUS

DAMETA

BC_1 v.1 Fronde sub exigua gelidaeque in margine vallis
 2 perflabam lasso tenues de pectore somnos,
 3 quos mihi luctificis rupisti, Marce, querellis.
 4 Cur luctus, miserande, facis ? Quis pernecat aedos ?
 5 Qui gregibus nocuere lupi ? Quis fascinat agnos ?

MARCUS

6 Oh felix, gnatis semper quem pellere duram
 7 posse famem voluere dei, cui maxima messis
 8 ridet agris, qui fata potes non dira vocare !
 9 Nobis cuncta nocent ; vix quantum corpora tegmen
 10 concludat, quantumque fames ingrata ciborum
 11 exquirat nobis mordax Fortuna reliquit.
 12 Heu, mihi formosa est dudum quoque nubilis empta,
 13 quae dum forte petit jungi lasciva marito
 14 expetiturque procis uterum concessit et aurem ;
 15 expectat vetitos post multa pericula partus.
 16 Quinque boves aderant, gnatis spes certa tuendis,
 17 illorumque labos Cererem Bacchumque ferebat :
 18 abstulit ecce duos morbus ; nam corpora sanguis
 19 deseruit mictus ; totis praesepebus afflant
 20 mugitus querulos ; nec tangunt dentibus herbas ;
 21 degenerant vires ; toto cum pectore terras
 22 concutiunt, medioque sinunt in pulvere vitam.
 23 Bos modo quem vidi tantum mihi fellis habebat
 24 quantum habet et splenis : plena est vesica cruore ;
 25 caetera tuta satis, sed sunt sine sanguine carnes.
 26 Mira loquar, quae forte mihi vix credere possis :
 27 tergora detraxi, vallis tum corpus in imo
 28 illacrimans corylis mixtum sub nocte reliqui ;
 29 arcessere lupi, magnisque ululatibus auras
 30 implerunt, circumque diu sedere cadaver,
 31 abstinuere tamen rabidas a funere fauces.
 32 Nec satis hoc damni. Languent armenta ; cruorem
 33 et reliqui minxere boves ; mugitibus oplent
 34 pascua. Contagio pecudes pervenit in omnes :
 35 parcut gramminibus, mortemque optare videntur.
 36 Di superi quantum nobis liquere malorum
 37 aspicias, ut nostras lacerarit grandine messes
 38 Juppiter, ut miseras fregerit pater improbus uvas

39 singula si numeres oculis pendentia grana
 40 dilacerata rigent : Bacchusque iratus et ipse
 41 effluit, arentemque acinum sub cortice linquit.
 42 Quid modo sperandum est proeliis, quid denique habendum est ?
 43 Quin quo bella Jovem constet fecisse trisulcis
 44 ignibus et coepto nimium indulsisse furori ?
 45 Rupe sub hac qua saepe solent praeludere tauri
 46 quercus erat patulis arcendo commoda soli
 47 frondibus : haec dulcem fessis promiserat umbram ;
 48 hanc ego si quando tuguri spes ulla fuisset
 49 culminis officium fungi potuisse putaram ;
 50 insanus ! Qui fata mihi non dura deorum
 51 promittam ; nam certa fuit spes nulla futuri :
 52 hanc deus omnipotens contorto fulmine rupit.
 53 Singula quid memorem ? Lacerat fortuna dolentem,
 54 nec lacrimas gemitusque facit. Proh sidera quantum
 55 vexamur ! Cur me Stygiis non devorat undis
 56 Tartarus ? Heu, socios imitabor morte juvencos !
 57 Sed, Dameta, tibi parta est clementia divum ;
 58 armenta arboribus repetunt praesepia densis,
 59 morte carent morboque simul, luduntque per herbas ;
 60 saepa implent vituli ; segetes et gramina rident.
 61 Haec nec dira lues, neo missi e nubibus ignes
 62 dilacerant, et nulla quatit tua semina grando.
 63 Omnia succedunt votis, tibi numina parent ;
 64 at mihi vix rap<t>ae, sepelit quas terra, supersunt,
 65 abstulit ex illis si qua est inhumata procella.
 66 Quid faciam ? Superest restis qua fata vocentur !

DAMETA

67 Si tibi non seri ruerent post fata dolores
 68 exiguo divam peplo placare docerem.
 69 Ursula facta dea est, quam Pan deus ipse colendam
 70 instituit, Satyrique omnes coluisse feruntur.
 71 Hanc celebrant cives, festasque ad templa choreas
 72 deducunt : ornant Phoebeco munere postes.
 73 Caseus ut quondam venalis veneat, urbem
 74 vexerat hunc pando noster Corsinus asello,
 75 et quia tardus erat, tum multi fallere cives
 76 consuerant. Cum forte boves praesepe tenerent
 77 accessi, et populi quam multa examina vidi !
 78 Cantabant, festumque diem numenque colebant ;
 79 atque ego - nam soleo cuncta usque ad viscera semper
 80 explorare ! - Novae quae tanta licentia pompae
 81 percontor. Quorsum plenae dulcedine voces ?
 82 Extorrem certe fateor reputasse laborem !
 83 Respondit mihi forte senex gravitate verendus
 84 canitiaeque gravis - cingebat tempora pellis
 85 ballantum, suras pellis caprina tegebat - :
 86 "Justius ut ruris possit prudentia dici,
 87 Ursula, caelestum consors, quae sidera lustrat,
 88 his colitur ludis ; cui quis si forte litarit
 89 primitias segetum, quis si sacraverit agnum,
 90 illaesas multoque simul cum fenore messes
 91 triticeas herbasque leget, nec dente luporum
 92 armentum lugere sinet, nec morte gravari

93 agricolas morbo sobolemque et limina servat."
 94 Huic ego dona fero quarto idus ante decembris,
 95 quae divae est sacrata dies : do munera templo,
 96 do pateras messesque simul parvumque juvencum,
 97 auxiliumque peto, templique ad limina supplex
 98 suspiro. Diva ipsa beata dat omnia nobis.

MARCUS

99 Mirabar cur solus iners, Dameta, jaceres ;
 100 Ursula diva tibi morbos et fulgura pellit ;
 101 atque ego, si vacchas quae morbo et sanguine lugent
 102 donarit nobis, voveo sua festa canendo
 103 deducam, templumque petam, peplumque litabo.

DAMETA

104 Accingamur age. Dicam quod diva docebat :
 105 nam Michael quondam cum divae ad templa measset
 106 auxiliumque pacemque petens vaccisque salutem,
 107 respondit : "Discede domum venamque resolve,
 108 hanc uteri in medio tumefactam sanguine cernes,
 109 in mulctramque cruor recidat ; tum congere vina,
 110 tergora tunc armosque oleo quod bacca par<av>it
 111 Delphica et ex pomis laurus prorumpit inunge ;
 112 tum malvas betasque coquas et prorsus olivum
 113 ingens infandas : quod si tua vacca bibisset
 114 gramina cocta simul facito quoque caetera mandet,
 115 Pontica ter victi pariter medicamina Regis
 116 exhibeas, fenoque frices surasque torosque.
 117 Id si, crede, facis, post sex tua vacca salutem
 118 accipiet soles, nec erit tibi causa doloris"

MARCUS

119 O pastor felix, utinam medicamina dudum
 120 dixisses, cum nulla lues mihi damna tulisset !
 121 Sed paucas servare boves quae forte supersunt
 122 quae sepelire juvat, mecum, precor, ipse venito ;
 123 quaeramus vitam miseris retinere juvencis.

DAMETA

124 I, sodes, veniam tecum, numenque precabor
 125 ut mecum felix venias ad templa sacerdos.

BUCOLICUM CARMEN II

MILES AGRARIUS

GOMINUS

BC_2 v.1 Ecce venit pando Bechanellus vectus assello
 2 tella ferens arcumque manu pharetramque cruentam.
 3 Quid sibi tella petant, cur tanta insania cordi est
 4 explorare juvat. "Quo te furor urgit euntem

5 armatum, Bechanelle ? Precor, mihi fare quid audes ;
 6 quis tibi vel messes subjectis ignibus hostis
 7 consumpsit ? Vel quis rapuit tua gaudia capras ?
 8 Siste asinum loris ; causam votumque doceto. "

BECHANELLUS

9 Mars agit armatum ; Mars nostro in pectore saevus
 10 exsultat, mentemque ad summa pericula ducit !
 11 Quid prodest jacuisse domi ? Quid vomere terram
 12 dilacerare rudem ? Quid semina condere sulco ?
 13 Una dies messem cum tot sudoribus aufert,
 14 vel sternunt venti segetes, vel dirus aristas
 15 excutit Omnipotens, sternit quoque grandine terram
 16 dilapsique Polo Satyri Panque ipse feruntur.
 17 Quis memoret pecoris tam multa pericula nostri ?
 18 Contigerat segetes alienas vacca puelli
 19 forte oculos fallens fuerat qui ad pascua custos ;
 20 hanc vix conspectam Dameta ad vincula traxit,
 21 exposcitque aurum, perpessaque damna rependi
 22 expetit : utque dies cunctando ducimus, ille
 23 lac mulsit, mulctumque sibi servavit edendum.
 24 Adsunt et morbi celebres ; contagia capras
 25 sollicitant, vexantque lupi, vexantque leaenae,
 26 atque ursi, dumisque ipsis inconditus aspis
 27 ubera vel siccant vel ledit dente papillas.
 28 Quae, Gomine, precor, quis vir cum mente putetur
 29 posse pati ? Quis non malit sua fila secari
 30 et finire suos morte aut mulcere dolores ?

GOMINUS

31 Quid facias ? Si te finxit Fortuna colonum,
 32 insanire potes, sed erit tibi limus arandus.
 33 Sidera - ni fallor - quales, Bechanelle, futuri
 34 sint homines, et fata docent spes omnis inanis :
 35 fata movent animos et gramina secta bovesque.

BECHANELLUS

36 Falleris ! Et nescis quantum prudentia possit !
 37 Nulla potest, ni ficta ferat, Gomine, sacerdos,
 38 vis animos hominum violare ; soluta voluntas
 39 libertate sua quos vult prorumpit in actus !
 40 Et memini, cum nos genitor grandaevus in urbem
 41 duxisset, nostri properasse ad Praesulis aulam,
 42 conspexisse virum summa gravitate loquentem :
 43 accessi ; nomenque suum casusque domumque
 44 exploro. Nam Petrus erat, cui nulla tegebat
 45 barba genas, sed mella suo fundebat ab ore :
 46 pendebant tacitique senes juvenesque superbi.
 47 Ipse ego qui cupiam semper, Gomine, doceri,
 48 provehor in medios et tensus auribus asto.
 49 Dicebat quae digna deo, sed pauca notavi :
 50 "Discite virtutem, nec sidera tondite votis,
 51 nec peplum praestare tholo ; nil Juppiter arcet ;
 52 qui sequitur divos divum gaudebit honore ;
 53 at qui segnitiem, qui gaudia stulta protervus
 54 consequitur, nullo divos incurret in actu

55 si ruat in praeceps, si Tartara saeva revisat ! "
 56 Plura quidem dixit. Nos visa crepuscula tandem
 57 rus migrare docent : sic divum plura monentem,
 58 sic praecepta simul lacrimans, Gomine, reliqui.

GOMINUS

59 Oh demens, quantum nescis, Bechanelle, doceri !
 60 Num docuit jacuisse solo, jacuisse per herbas
 61 ut monitis patulas implere dulcibus aures ?

BECHANELLUS

62 Scilicet ipse togam per devia rura ferendo
 63 alter forte deus Petrique simillimus essem ?
 64 Ipse ego dum redeo lituos et tympana sensi,
 65 armatumque ducem quem millia multa salutant :
 66 Bartholomeus erat, Veneti tutela Senatus,
 67 Bergomea civis quondam sublimis in urbe,
 68 nunc princeps, auroque potens nummoque viroque.
 69 Haud tamen ille mihi lustret si membra duello
 70 fortior assurget, si natae ex corpore setae,
 71 brachia si magna vix non majora columna
 72 vera ferat, rigidaeque comae dentesque lupini.
 73 Aspice quam duros poscant mea brachia caestus,
 74 quam galeam magnumque caput, quam pectora peltam !
 75 Est mihi mulctra domi magno quae major aeno :
 76 presserat illa comas galeaeque subibat in usus ;
 77 vix cervix non pressa subit ; tum forte ligonem
 78 quassabam : sensere boves, fugiere lyciscae,
 79 et sua latratu pedibusque pericula vitant.
 80 Quid si forte tegar, pectusque umbone prematur,
 81 crura tegant ocreae, cassis qui tempora sudet,
 82 et crispem lato metuenda hastilia ferro,
 83 quis pugil a nobis non laesus vulnere abibit ?
 84 Adde arcum pharetramque agni de caede rubentem,
 85 immittesque oculos, longamque ad pectora barbam :
 86 quis queat intrepidus mecum contendere pugna ?
 87 Quis conferre manum ? Quis non dat terga volenti ?

GOMINUS

88 Nescia mens hominum quid fata sequentia ducant
 89 concipit innumeros sine caede et Marte triumphos ;
 90 sed secus est cum tela vident ; cum vincla parantur
 91 delirant, et tela manu dilapsa relinquunt.
 92 Armigeros quotiens per devia rura notasti
 93 ferre ignes gladiumque trucem letumque minari
 94 (quod si vera canam, si nil reticere licebit),
 95 Tu quoque sub feno latuisti, et tutus inertes
 96 intrasti latebras ! Biduumque moratus in illis !
 97 Et memini cum te conjunx compressa vocaret
 98 et clamaret open, non formidavit adulter
 99 carpere furtivos renuenti ex conjuge fructus,
 100 indemnisque suos petiit cum laude penates...

BECHANELLUS

101 Quid facerem ? Vidi gladium vibrare coruscum
 102 immitem armigerum vulnus mortemque minari :

103 pertinui, fateor, latuique in stramine tutus ;
 104 at me cum sonipes fulvo spectabilis aere
 105 perferet armatum scutoque astaque superbum,
 106 rura petam praeceps, miserosque ad vincla colonos
 107 abducam, potiarque pari cum laude puellis !
 108 Tum porcos caponesque simul variosque palumbes
 109 in praedam et tauros propria ad tentoria p<o>rgam ;
 110 nec poterit profugus latebras impune subire :
 111 omnia perquiram : facit experientia cautum !
 112 Cum mea praecingent varii indumenta colores,
 113 cumque latus mucro, talos calcaria cingent,
 114 tum me felicem poteris spectare tyrannum :
 115 tympana praecedent gracili pulsata bacillo,
 116 praecedentque tubae, juvenumque senumque caterva ;
 117 ipse sequar forti redimitus tempora quercu,
 118 vixque movere oculos, vix reddere verba juvabit.
 119 Cum rapiunt dulces forsitan mea lumina somnos
 120 non mihi fena toros non stramina dura parabunt :
 121 componar lecto, et noctem funalia pellent,
 122 cantabunt pueri, servabit limina custos ;
 123 tegmine purpureo residens non fessa sopori
 124 membra dabo tangetque rubens mea pectora nympha,
 125 mulcebitque animos, nec basia pulchra negabit.

GOMINUS

126 Oh felix si [tempora] si tua vota sequantur !
 127 Si pareant divi, Zephyrus si carbasa ducat !
 128 At me falce juvat viridantem radere terram,
 129 et truncare comas et fingere gramina rastris.
 130 Cantharus ipse mihi Bacchum per prata ministret,
 131 nec desit mihi dura Ceres, nec flumina desint ;
 132 et valeant tauri, vomer quoque semper aduncus,
 133 tergora confringat nostro non fractus agello,
 134 triticeas multo qui reddat fenore messes.
 135 Tu sectare deos, tu pocula victa bibendo
 136 faucibus in siccis absinthia dira vorato.
 137 Ah quanto est melius tenui de flumine lymham
 138 sorbere ! Et vivo madeant tua guttura fonte
 139 dum securus ames, dum dent tibi gaudia Parcae
 140 dum teneas nudam dulcem sub tegmine [nympham.]
 141 Sed, Bechanelle, vale, et nostro ne cede labori.
 142 Sol ruit in praeceps, crescunt sub montibus umbrae.

BECHANELLUS

143 Sis felix ! Tu rura colas, tu pascua pastor ;
 144 ipse sequar Martem ; referamque ex hoste tropaeum
 145 quo mea venturi celebrent praeconia vates.

BUCOLICUM CARMEN III

LUDOVICUS ET ALEXANDER INVICEM LITIGANT, CROTON SEDET ARBITER

ALEXANDER

BC_3 v.1 Vera qui rauco ducis per gramina versu
 2 huc, Ludovice, veni mecumque sub illice canta ;
 3 stridula disparibus si sit tibi fistula cannis
 4 certemus, dum prata pecus ridentia tondet,
 5 dum comedunt hederas viridi de monte capellae.
 6 Sunt mihi bis denae flexis cum cornibus agnae,
 7 sunt totidem pecudes longisque testibus hircus,
 8 deliciaeque animi conjunx formosa Luala,
 9 quae quotiens mentem incurrit cadit omnis in illo
 10 vis animi, subeunt optata <silentia>. Quando
 11 tegmine sub patulo fagi requievimus herbae ;
 12 nec lux sola meis oculis, haec gloria Luci,
 13 quae cum forte venit per devia lustra ferarum
 14 congaudent frutices, arrident floribus herbae ;
 15 lac si forte novum pendenti ex ubere mulget
 16 exsultant Fauni, Satyri nemus omne frequentant,
 17 exspectantque procul quia dulci corpora somno
 18 tristia tu dulci refovebas candida lecto ;
 19 at tu, ne campis nimium spatiemur apertis,
 20 Io propero pede, Ludovice, da dulcibus antris !
 21 Naiades sanctas, te monstratore, choreas
 22 concelebrent, tugurique gemens in culmine turtur
 23 passer et inde salax imitentur carmina passim.
 24 Ipse ego Pana canam, bijugique in vertice pastor
 25 me docuit Corydon cum forte arderet Alexim ;
 26 ipse ego - nam memini - quercus securus in umbra
 27 oraque, defendens ardenti ab sole galero
 28 "Quid facis oh vacue, et ranarum carmina sentis ;
 29 cur versus faciles rauca et cur carmina discis ?
 30 Huc converte gradum ! " dixit, "Tibi carmina texam
 31 qualia nec Polyphemus agat, nec Graecia, nec qui
 32 centioculo injecit somnos caducifer Argo."
 33 Accessi et didici calamos conjungere ceris,
 34 et mollire feras, rapidumque sistere flumen.
 35 Saepe meos coryli summaque ex arbore glandes
 36 fraxinus et cornus cumque his viburna salixque
 37 mirantur versus et Apollinis esse fatentur.
 38 Ursula et in Siculis visa est quae collibus olim
 39 quae domuit forti juvenilia colla ligone,
 40 abstulit et mihi me ; cantus laudare solebat
 41 atque optare meos, ulnisque innectere collum
 42 et mea divino praeponere carmina Delpho.
 43 Postquam Lombardos tetigit mea tibia montes
 44 rustica nescio quae pastoria sibila sensi,
 45 nec potui sufferre diu quin plectra moverem
 46 incultumque meo caperetur carmine vulgus ;
 47 tunc primum pueri Nymphaeque amplexibus aptae,
 48 pastoresque senes sibi me voluere magistrum.

49 Invidit Firmus, quo nec deformior alter
 50 huc vexit pecudes nec stultior arte canendi,
 51 et procul e saxi despectans culmine fontem :
 52 "Quid pueros seducis ?" ait, "quid subripis aedos
 53 praemia doctrinae ? " Quos cum numeraverit agnas
 54 pastor et orbatam matrem cognoverit aedo,
 55 confringit ferulas et silvas vocibus oplet :
 56 "Huc converte gradum, tenuesque inflare cicutas
 57 non pigeat : multa (et ne nos contemne) docebo."
 58 Intimui, fateor ; nitidam deponere vaccam
 59 constitui : capram tantum mihi praemia ponat,
 60 certemusque simul referat sua praemia victor.
 61 Erubuit victus, nec cedere turpe putavit ;
 62 riserunt pueri, manibusque ad gaudia pulsus
 63 dedecus in stulti pelves mulctrasque sonarunt.

LUDOVICUS

64 Desine, Alexander, tanto sermone canendi
 65 doctrinam jactare tuam ; mihi fistula collo
 66 bis septem pendet brevibus compacta syringis ;
 67 formavit digitos illa ipsa ad munera nostros
 68 ipse meus Corydon ; nec sum cessurus honorem
 69 non tibi, non si Pan nemorum deus ipse veniret.
 70 Et mihi parta satis laus est, et praemia victor
 71 saepe ego praeposita ad tuguri fastigia fixi.
 72 Ipse ego nam memini dum festa Palilia pango
 73 transilioque pios illaesis cruribus ignes,
 74 et stipulam messemque fero, de astantibus unus :
 75 "Salve, o cantor," ait, "templis numerande deorum ! "
 76 Tolle minas, veniam tecum certare cicutis,
 77 deponamque pecus modo ni tibi pignora desint ;
 78 fistula nec tantum nota est mihi, cornua novi
 79 lascivo perflare sono : tu delige quali
 80 nobiscum plectro libeat committere bellum.

ALEXANDER

81 Quid dicent docti blattent cum talia stulti,
 82 fistula rauca tibi ; sed tu raucidior illa !
 83 Nonne ego te sensi stipula sub sole canentem
 84 stridentique feras propellere carmine silvis,
 85 ut nec saevus aper viridi securus in antro,
 86 abdita nec nido mediis in sentibus ursa,
 87 perstarent, tantum causant tua plectra fragorem !

LUDOVICUS

88 Vis igitur tenui jam jam certemus avena ?
 89 Fronde sub hac sedeatque Croton qui pignora servet.

ALEXANDER

90 Accingamur age ; hoc tersum tu fictile sume
 91 poculum, amice Croton, victoris praemia quod sit.

LUDOVICUS

92 Suntque sinu nobis duo pocula fagina, quorum
 93 accipe quod malis, quod, si certamine vincar
 94 vel si vincetur qui me pertraxit ad arma,

95 praemia victorem cum pace et laude sequatur.

CROTON

96 Est mihi propositum nullorum tangere pignus,
 97 sedula quod quondam sic me Lais ipsa monebat,
 98 sed quia lis memoranda agitur dignusque levare
 99 impetus, inflandae tanta ad luctamina mentes,
 100 accipio. Faveant Dryades Panque ipse secundus
 101 adveniat. Sic saepe truces praeludere tauros
 102 aspexi, et teneram per vim per vulnera vaccam
 103 victorem vitulum patulis implisse sub ulmis.

LUDOVICUS

104 Incipe jam, versusque tuos mentesque resolve.

ALEXANDER

105 Me quondam Dryades mediis in sentibus unum
 106 comperiere decem perflantem pectore somnos,
 107 et geminos laqueo tenui de vimine sensim
 108 implicuere pedes : utque alto in culmine montis
 109 constiteram, fontis declivi in margine tractum
 110 constituunt ima qui se de valle ferebat.
 111 Nil valere preces nec blandimenta nec ira
 112 candida nec viridi vestis maculanda veneno ;
 113 detraxere tamen, nec eo contenta Pomilda
 114 pectoribus descripta meis sed plena cachinno :
 115 "Praecipitem, Dryades, gelidum mittamus in amnem
 116 ni sibi quot pecudes, quot nati ad ubera cantet ! "
 117 Conveniunt omnes dominae quo jussa facessant
 118 ni cantare parem. Quod tum mihi forte putatis
 119 mentis erat ; praestat cantus quo fonte levare
 120 accingar ; praebere locum de caespite Nymphae ;
 121 et quibus obliquo connectens colla lacerto
 122 haerebat captans cantus mea nympa sonoros
 123 ore legens quam vox cantantis fuderat auram
 124 ipse ego tunc tali - juvenes advertite - voce
 125 carmina concelebrans dominae sum jussa secutus :
 126 "Si quisquam est cui forte foco praecordia flagrent
 127 ipse ego sum. Sed tu, quae humeris felicibus haeres,
 128 nil pendis lacrimas, totidem mea vulnera pendis,
 129 et laceras ardore jecur. Proh, perfida ! Quid sic
 130 exagitas miserum ? Cur me, pulcherrima, torres ?
 131 Quid furis, o pernix ? Quidquid pulcherrima, formam
 132 mentiris feritate tuam ? Da foedera victo,
 133 da pacem veniamque, mihi quid bella parabas
 134 cum mihi nulla forent tanto pro munere tela ?
 135 Pone modum, jam pone modum ! Si quaeritis agnas
 136 sunt bis mihi septem : totidem dant ubera matres
 137 lascivae, et septem detondent prata capellae ;
 138 estque canis quo non nostris in montibus alter
 139 expugnare lupum latratu est doctior atro,
 140 et quo Romanus non est vigilantior anser.
 141 Haec ego cuncta tibi mea, pulchra Pomilda, parabo,
 142 quae tu fastidis, sed enim si lancibus aequis
 143 adspertes, non sunt viles mea dona paratus.
 144 Ingrediare casam palearum tegmine curvo

145 insignem, quam non montis magalia dices,
 146 sed pastoris erit gregibus cui summa peculi
 147 bis centum constet lactis qui mulgeat amnem.
 148 Ingrediare, precor, teneras mirabimur agnas,
 149 et caprum dum terga premit villosa capellae ;
 150 ipsa tuis manibus servata coagula lacti
 151 impones, sudesque focum, cumque arserit ignis
 152 ampullas breves summo monstrarit aeno,
 153 ipsa eadem manibusque tuis cubitoque trementi
 154 exceptum summo spissum quod margine praestet
 155 concinges circo, atque serum jam cortice pressum
 156 excipies, quod deinde canis desorbeat ipse ;
 157 est fiscella mihi scirpis contexta pusillis,
 158 et mihi, si nescis, Bacchi est bona copia ; nuper
 159 cantharus ipse gravis, medio praesepe repostus,
 160 abditus et feno pueri ne poccula siccent,
 161 plenus erat ; cepi ipse parum, tibi caetera servo ;
 162 curre, precor, tugurique mei contingere limen
 163 nec pudeat, quia nec tauri nec numina vitant ;
 164 Pan deus ipse meos ridens intrare Penates
 165 est solitus ; quid tu refugis mea limina, nympa ? "
 166 Caetera quid referam ? Victa est cum voce puella,
 167 basia et in tenero fixit non pauca labello.
 168 Fare age tu tantos si scis, Ludovice, triumphos
 169 vel credas ; sine Marte mihi non credere turpe est.

LUDOVICUS

170 si possent animum verba expugnare ferocem
 171 duceret Herculeos pater Achelous honores ;
 172 sed virtus lingua nec frangitur. Ecce duellum
 173 ingredior. Tu perge, Croton ; da protinus aures
 174 cantanti. Mea bella licet memorare canendo ;
 175 nam Cacus, quondam, tenui de plebe colonum
 176 consitus, ingentes sumpsit sibi stultus amictus
 177 inque urbem properans medici sibi jura superbus
 178 intulit, et plantas nostris de collibus egit
 179 in praedam, morbosque illis superare ferebat.
 180 Sperare incautum coepit miracula vulgus ;
 181 accersit virum ; portant siphonibus omnes
 182 urinas, requiemque suis languoribus orant :
 183 ille scelus cunctos longo sermone trahebat,
 184 gramina tunc vinumque capi mandavit aeno
 185 protinus ingenti et Vulcani bella subire
 186 his implere femur stomachumque implere Falerno ;
 187 tum pulchros vario traxit sermone puellos
 188 ludere taxillis et palmis stringere clunes
 189 incipiens : magnosque sibi poscebat honores.
 190 Non tulit hunc tanto tumefactum flamine Mopsus,
 191 meque vocat, poscitque jocos risusque precatur.
 192 Illicet accepi tua quod per carmina, Mopse,
 193 optares, volucerque ad proelia lecta cucurri,
 194 mincturamque suis scaphio quoque forte parato
 195 ad medicum porto, et requiem precor ipse dolori.
 196 Ille oculos tollens tria post suspiria fatur,
 197 meque caput ventremque refert pectusque repletum
 198 et parat urgenti stomachum vexare medela,

199 atque uterum pingui totum mulcere paratu ;
 200 ast ego confestim risu illa silentia rupi
 201 indita, et ingenti tandem sum voce locutus :
 202 "Discite, ruricolae, quantum sapientia possit,
 203 quid faciant divi, quid carmina sancta, quid herbae !
 204 Namque hic insulsus porcorum signa videndo
 205 exposuit quid nos media in praecordia vexet ! "
 206 Mira loquar, quamvis stultus vanusque fuisset
 207 erubuit scelus ille tamen linguamque remordit.
 208 Tum Paulus veneta pastor venerandus in urbe
 209 corripit ad laqueos et tristia vincula sontem,
 210 Vulcanusque petit membra exstirpare petulca,
 211 quod ni fata deum caelestia sidera Paulum
 212 abstulerint, toto pascebat corpore flammis,
 213 at postquam in melius formosus creverit orbis
 214 Germanum aspicias Pauli pastoris in aula
 215 cantantem et summi pastoris jura tenentem ;
 216 hunc et Aventinus pulchra et Capitolia patrem
 217 spectabunt cunctique greges quos sidera lustrant,
 218 quos quoque de celso prospectat culmine Phoebus,
 219 et dominum et sancta cantantem voce sequentur.
 220 Ille suo reddet felicia tempora sceptro,
 221 ille oculis faciet spicas prorumpere juncis,
 222 castaneas loto, et sterili de vimine poma.
 223 Oh me felicem si tempora in illa reserver,
 224 sique oculis divum si dulcia tempora cernam !
 225 Scandite jam volucres nostra usque ad tempora stellae
 226 ferte deum nobis qui postquam fregimus agrum
 227 aurea poma ferat, dulcesque in pectore somnos
 228 inspiret, teneraque sinat gaudere puella,
 229 et pacem aeternam miseris agrestibus addat.
 230 Nullus erit tunc orbe labos, nec rastra juvenus
 231 quassabit, nulloque gement sub vomere tauri,
 232 sponte sua silvester ager messemque feracem
 233 parturiet ; Panque ipse pater frumenta parabit ;
 234 poma ferent hederiae, gaudebunt floribus ulmi,
 235 Bacchus et ipse pater non tonsis vitibus uber
 236 exhibit, tantoque gement sub pondere thyrsi ;
 237 solia tunc vinum franget, sicque horrea messis.
 238 Currite felici caelestia lumina cursu,
 239 ferte deum nobis qui - ni praesagia fallant -
 240 agricolae extincti capiet sibi nomina pius ;
 241 aurea tunc aetas duro juvenescit in aevo ;
 242 otia cara domi : bellum et certamina nusquam ;
 243 errabunt pecudes nulla vigilante Lycisca,
 244 securamque nemus praestabit et umbra quietem,
 245 et nullae incurrent ad tristia vulnera fauces ;
 246 consistet medio sol formosissimus orbe,
 247 ver erit aeternum, nullique in nubibus ignes,
 248 nusquam Eurus Notusque ferox, sed dulcis ad herbas
 249 eveniet Zephyrus, flores et gramina pascet,
 250 tuncque gelu nullum glacies nec flumina sistet,
 251 prorsus hiems aestasque ruent ad Tartara, nec nos
 252 Sirius obscuris vexabit nubibus ardor,
 253 nec coquet ardenti Phoebus cum lumine terras ;
 254 tunc longos dormire dies, tunc ludere lecto

255 cymbala pulsasque segetes spectare iuvabit.
 256 Ferte tamen vati non parvula dona, coloni,
 257 felices si vos veniens invenerit aetas,
 258 quosque scrobes nullique trahent in pascua sulci.
 259 Nos quoque tunc cives opibusque ad culmina plenos,
 260 vendere nec pecudes nec raptos matribus agnos,
 261 tondere nec pecudes, pratum nec tondere falce
 262 expediet. Nullum lassabit brachia pondus.
 263 Tu quoque, care Croton, quem tot ventura monemus,
 264 munera da vati : sic te illa in tempora Parcae
 265 conservent, Lachesisque trahat tua stamina dum tu
 266 aspicias summa Paulum consistere Roma,
 267 inveniasque tuae pacem requiemque senectae.

CROTON

268 Surgite jam pueri : ventrem implevere capellae
 269 dum canimus, matresque quater suxere tenelli ;
 270 dum ludunt agni ruit ima in Tartara Phoebus,
 271 et crescunt umbrae silvisque et montibus haerent ;
 272 sed victor Ludovicus erit frontemque virenti
 273 ornabit sermo laudemque et praemia sumet.

BUCOLICUM CARMEN IV

PHILARETUS ILLACHRIMANS, CHORIDON

CHORIDON

BC_4 v.1 Vae tibi si spectes quae stamina cara Sorores
 2 discerpere tui quondam, Philarete, puelli,
 3 si spectes periisse patrem qui gramina solus
 4 omnia cognovit, qui tutam grandine messem
 5 servabat, caeli cursus radiosque, tenebat,
 6 pone modum lacrimis, nec tempora prisca recenses,
 7 una potest sedare tuos patientia luctus.
 8 Respice mortales reliquos quos tristis Erinys
 9 conterit assiduis numquam satiata colubris ;
 10 num cernis Turcos ad vulnera nostra ruentes ?
 11 Ecce Byzantinus qui nostra ad pascua pastor
 12 pervenit ; miseros poteris relevare dolores
 13 si referas pecudes per mille pericula raptas,
 14 ablatosque agnos matri, miserisque capellas
 15 tinxisse exhausto virides cum sanguine terras ;
 16 direpti periire boves, periire puelli
 17 custodes pecorum ; tuguri quoque culmina terras
 18 contingunt, revomuntque incensa cubilia fumum.
 19 O felix si te proprio sub tegmine cernas
 20 ducere securos felici sidere somnos !
 21 Disce pati quaecumque potest Fortuna minari ;
 22 laetior ut vivas stabulis, contemne dolorem,
 23 et tibi quicquid habet quod reddere possit acerbum,
 24 quicquid atrox Fortuna potest vel Parca parare,

25 constanti instituas animo, Philarete, ferendum.

PHILARETUS

26 O Corydon, Corydon, nescis mea vulnera, nescis
 27 quid trahat exiguo tantos de lumine fontes !
 28 Nam quae prisca refers ea Lethes damna volenti
 29 abstulit, et menti dudum est inducta cicatrix.
 30 Durum vulnus adest : conjunx mihi dulcior aura
 31 Margarita perit teneris tabefacta sub annis !
 32 Abstulit illa meam vitam, quam dulce fovendo
 33 indiderat, cunctos rapuit sibi mortua risus.
 34 Ah, pereat quisquis posthac spectare canentem
 35 sperabat choreasque mea componere voce.
 36 Fistula sit dulci quamvis gratissima cantu,
 37 effringenda tamen, saxo illidenda rigenti.
 38 Da violas Corydon, gelido da lilia toffo ;
 39 interiere simul citharae periitque Diana.
 40 Illa decus Latii, cui <cum> virtute relictum
 41 immeritum, talamoque Jovis quae digna superni
 42 occubuit. Nam dira lues pulmone resedit,
 43 mandere oves quae saepe solet ; tum fondere tussi
 44 incoepit rutilos misere veh Nympha cruores
 45 expuere ; inde tabes totoque arcessere coepit
 46 corpore, et ex tota crines deponere fronte ;
 47 fastidit mox calva cibos ; cum deinde lacerto
 48 nusquam motus adest, sitis aspera guttura siccat,
 49 intumuere pedes. Lacrimans tum Nympha vocavit,
 50 (heu memini ! cognovit enim moritura periculum !)
 51 atque ait : "O consors, morientis gloria nymphae,
 52 vive diu felix ; sed numquam pectore nostrum
 53 labatur nomen dum sis, Philarete, superstes ! "
 54 Inclinat demum caput vitamque relinquit,
 55 inque sinus nostros corpus sine mente quievit.
 56 Septembris quinto fuit haec lux ante kalendas,
 57 infelix quae semper erit, quae semper amara,
 58 quae lacrimis repetenda meis peploque lucebit.
 59 Vidi equidem summo Superos cantare theatro
 60 et celebrare jocos summa quo Numen in aula
 61 inferrent, sidusque poli super axem locarent.
 62 Margarita mihi, Corydon, si numina spectes
 63 numen erat ; si magna peculia forte recenses
 64 illam ego vel Latii soleo praeponere regno.
 65 Exsecranda dies castoque inimica dolori
 66 abstulit e tenere perceptam tempore nympham !
 67 Haec luctus nunc causa mei quae lumine Nilum
 68 educat, pectusque lavet gemitusque ministret.

CHORIDON

69 Vulnera saeva refers quae nos quoque flere juvabit,
 70 et liceat dum tinctus adhuc dum vulnere mucro
 71 aut tepet aut tepidum mittit per nubila fumum.
 72 Exple animum, plenique ruant ad pectora fontes,
 73 sed cum mandaris tacito sua membra sepulchro
 74 siste pedem, lacrimansque omnino ex pectore pelle :
 75 stultum est in gemitu vitam lassare fugacem,
 76 ne quicquid excutiant post indita damna dolores.

77 Hanc concessit divum pater ipse tenendam
 78 amplexu : gnatumque tibi natamque paravit ;
 79 tum sibi cum libuit rapuit, sua non tua, nullum
 80 munus juris habes, liceat sua dona tulisse,
 81 quam tibi sponte sua dederat, Philarete, colendam.
 82 Aspice labruscam multis quae grata racemis
 83 floruerat, plenumque agris promiserat annum
 84 sed rapuit flores misere rapidissimus Auster,
 85 pampinus ipse riget, curvantque cacumina thyrsi,
 86 prata rosas flectunt, nec pascunt gramina rivi ;
 87 ipsa seges prostrata jacet : vix falce secari
 88 messis maesta potest, tantum Fortuna revolvit
 89 usque rotas, nec certa tenent vestigia Parcae ;
 90 est divum metuenda fides : capit omnia finis.

PHILARETUS

91 Ah, Corydon, desiste animum mulcere loquendo ;
 92 est mihi dulce mori ; rapuit quae gaudia Parca
 93 reddere sola potest oculis solacia nostris.
 94 Mor<s> mihi munus erit ; facerent dii tempora secum
 95 duci nostra ; queant nostris quoque mensibus illa
 96 viveret et propriis tantum deponeret annis.
 97 Ergo ego consortis vivus post fata relinquer ?
 98 Suscipiamque cibos, nemorum quoque lustra subibo,
 99 hortaborque canes ? Ut lac rastrosque bovesque
 100 consequar, et potero domina superesse perempta ?
 101 Dii, prohibete nefas ; satis est vixisse ! Quid ultra
 102 exspectare juvat ? Rodunt praecordia curae.
 103 Non tantum mihi vita placet ; si sidera poscunt
 104 si sic fata deum, laetus mandata facessam.
 105 Infelix uxor, tu sidera summa petisti,
 106 tum cum purpureos flores produceret aetas ;
 107 ipse ego qui conjunx fueram, qui foedera lecti
 108 et junxi et tecum communia cuncta gerebam,
 109 ducam perpetuo sordentia tempora luctu ;
 110 nam dum lustrabunt obliqua animalia terras,
 111 dum calido facient voces sub sole cicadae,
 112 semper eris mecum ; numquam tua nomina Lethes
 113 absorbet ; nostro vives comitata dolore.
 114 Quum quantum raucae repetunt tua nomina voces
 115 tantum crescit amor, tantum mea sulphura flammam
 116 concipiunt, crepitantque truces in pectore curae.
 117 Saepe lego truncos qui nomina falce notata
 118 ostendunt, herbasque lego quae saepe cubile
 119 praestarunt nostroque jacent a pondere pressae.
 120 Gramina vociferans "Ubi sunt mea numina ? " Dico ;
 121 illa silent, luctusque meos arentia sorbent,
 122 sic sitiens nostro pinguescit munere tellus.
 123 Jam dolor insanus toto de corpore somnos
 124 expulit, exurunt crudeles pectora taedae.
 125 Nocte tamen caeli referens praeclara triumphos
 126 ad thalamos venit illa meos : vidi ipse volentem
 127 Naiadum dominam ; praestabant lumina Phoebum,
 128 Lunaque mulcebat, redolentque labra hyacinthos ;
 129 sidera complebant vestem. Diva ipsa locuta est :
 130 "Chare, mihi conjux, si felix sidera lustro,

131 ingemis et misero comitaris gaudia luctu ;
 132 tantus erat consortis amor ! " Mihi frigidus horror
 133 membra quatit. Tacitam pressere silentia vocem.
 134 Tunc ea subridens : "Superos, ait, inde precabor
 135 dives eas pastor per pascua longa canendo,
 136 et referant saturae plena ubera semper et haedos
 137 parturiant caprae, te armenta aliena sequantur."

CHORIDON

138 O quantum insanis si fles, Philarete, triumphos !
 139 Conjugio et dolor est. Si caeli in culmine fulget
 140 terge oculos, risumque voca, et contemne dolorem :
 141 ecce Vitalbus adest, dignus gestare corymbos,
 142 dignus et ingenti crines praecingere myrto :
 143 consule perge senem, facitoque quod ille monebit.

BUCOLICUM CARMEN V

DE INCONTINENTIA

CHORIDON

BC_5 v.1 Mopse, sacerdotem magna quem voce ciebas
 2 adventare ferunt divos et sacra ferentem ;
 3 sed mihi fare, precor, quis tanta pericula menti
 4 intulit, ut tuguri vocites sub tegmine taurum,
 5 ut genus indocile et vitiorum turbine plenum
 6 optaris castos dudum adventare penates ?
 7 Crede mihi, limen si trux contingat adulter,
 8 confringet gnatam. Nulli scelus ille pepercit,
 9 non senibus maribusque simul, trahit ille nefandum
 10 in scelus omne genus, nihil aspernatur amoris,
 11 advolvitque tuae splendentia cornua fronti.
 12 Ille meam dudum voluit violare sororem ;
 13 abnuit ipsa, tamen sed basia multa protervus
 14 abstulit, et collum posuit sua brachia circum.

MOPSUS

15 O Corydon, nescis quae me mala numina vexent,
 16 quae mihi bella gerant, quae me sine pace lacesant.
 17 Nam Venus, agricolis semper contraria fessis,
 18 quae Cererem Bacchumque suum quaeque otia poscit,
 19 adversata mihi est : gnatam prius illa peremit
 20 quam nec membrusos posset lacerare sacerdos,
 21 nec taurus, nec si tauro membrusosior urnus.
 22 Cur tamen ista loquar ? Paucis, adverte, docebo.
 23 Bis sex gnata dies bis sex compexerat annos,
 24 coepit Corsino nimium formosa videri ;
 25 hanc tum per silvas per pascua laeta secutus
 26 connubio taedisque ciet, cunctosque precatur
 27 suppliciter divos thalamumque facesque parent.

28 Nil gnata invito fuerat factura parente ;
 29 arcessor, qualisque mihi sententia poscor :
 30 "Immaturo nimis", dixi, " mea nata videtur,
 31 sit lasciva licet, celebri quoque tempora fronde
 32 cingat, et ad sistri moveat sua corpora cantus.
 33 Nam pater ipse gravis, cana gravitate verendus,
 34 dicebat partus tria post septennia primos
 35 maturos, quos si ante forent, properasse ferebat
 36 ignavum tenuique ex illis corpore nasci."
 37 Corsinum placuisse tamen, generumque probare,
 38 quod mulgeret oves quoque lac componere norit,
 39 et cornu cantare gravi, quod fistula collum
 40 ornarit, saltuque potens caestuque vocetur.
 41 Instabant multi foedus taedasque probantes ;
 42 ipse reluctabar. Cum nos mea nata loquentes
 43 audiret : "Desiste, pater, nec congere causas ! "
 44 exclamat : (suadet nova res quod tempora nollent)
 45 "Passa sui vulnus quantumque ea tela valerent
 46 cognovi : numquamque mihi suspiria numquam
 47 ingessere aliquos nisi dulces bella dolores ! "
 48 Dixit, et ingenti risit plebs stulta cachinno.
 49 Intimui, gnatamque sequor fustemque paratam
 50 accipio, et quatio repetito vulnere tergum,
 51 exclamans, fateor, fugientis verbera natae :
 52 agricolae instigant, augent quoque vocibus iras.
 53 Heu mihi, nympha gravi nimium quassata bacillo
 54 insidet ; ab paleis vix percita reddere vocem
 55 nata potest, gelidique ruunt de fronte liquores,
 56 nec verbum nisi pressa facit, mortique paratur
 57 victima. Sic nosti repetat cur tecta sacerdos.

CHORIDON

58 Mopse, equidem si via medicamina pulchra docebo,
 59 quo valeas facili natam revocare paratu !
 60 Da paleae flammam ; si forte incendia suffert
 61 da stipulam stipitesque foco, da vulnera natae,
 62 pelle sacerdotem, Vulcano crede potenti,
 63 ablatam natae revocet deus ille salutem !
 64 At nefas, quondam cum noctu ad templa cucurrit
 65 ipsa Tonola gravi nimium tentigine victa
 66 dumque sacerdotis thalamum sic nuda subisset
 67 explessetque jocos, petiit male sana penates,
 68 ebria vel vino Veneris vel victa labore
 69 incidit in fontem, longosque ibi sola sopores
 70 duxit, et a multis clunes madefacta reperta est.
 71 Pelle sacerdotem tectis si sanus haberi
 72 Mopse, cupis, si visque tori servare pudorem.

MOPSUS

73 Parebo, Corydon, donec mihi vita supersit.
 74 Ferte focum, pueri, redeatque ad templa sacerdos !

BUCOLICUM CARMEN VI

CARMEN ANNIVERSARIUM ET LACHRIMOSUM EST

PHILARETUS

BC_6 v.1 Cynthius, heu misero, totum se flexit in annum,
 2 et bis sex celeri lustravit signa volatu.
 3 Nix truculenta fugit, nuda est in finibus Aestas,
 4 et subit Autumnus. Mox quinque crepuscula ducent
 5 septembrem. Lux tristis adest, luctusque reportat.

CHORIDON

6 Nuper ab ingenti prospectans gramina saxo
 7 auribus extensis primum sentire videbar
 8 ballantum voces vel nati ad proelia tauri ;
 9 at postquam erexi mentem vox visa gementis
 10 est, Philarete, tua ; et subiit consortis imago.
 11 Novi : equidem caro solvis suspiria tofo ;
 12 perge age, da violas, dominae da lilia pulchrae,
 13 da vitulam, nidorque poli converberet axem ;
 14 sed lacrimas compesce tuas, mentemque virilem
 15 indue, et ingenti gemitus sub pectore conde ;
 16 fulget diva polo, summoque in culmine sidus
 17 emicat, et flentem ridens pulcherrima cernit.

PHILARETUS

18 O sors infelix gemitu dignissima nostro,
 19 si spectet lacrimas mea Margarita mariti
 20 arridens, nostrique ferant sibi gaudia luctus !
 21 Sed tu, quem misero praestarunt fata magistrum,
 22 hac sodes sub rupe jace, et mea vulnera dele,
 23 dum sol praecipiti nos meridianus ocello
 24 despicit, et resident umbrosa in valle capellae :
 25 hoc radios nobis poterit depellere saxum,
 26 fons quoque, si nescis, quem circum ludere Nymphae
 27 saepe solent, imis cantans radicibus exit,
 28 et reddunt dulces redolentia gramina cantus.

CHORIDON

29 Nil mihi, crede, potest fieri te dulce remoto.
 30 Adveniam. Sed tu lacrimas compesce fluentes.

PHILARETUS

31 Est locus extremi, Corydon, sub culmine caeli
 32 quem veteres dixere polum, quem verberat axis,
 33 quo fulgent geminae matres in nubibus Ursae ;
 34 huic procul obliquo discurrens ordine Phoebus
 35 aspicit Arcturum : genitor nam nubibus Orion
 36 considet ad dextram, gelidos pellitque Triones :
 37 illuc vecta dea est ; illic formosa videtur
 38 Caelicolis, illic mundo spectabilis omni
 39 emicat, aeternumque effundit numen Olympo.
 40 Hanc ego cum specto, quamvis per pectora rivi
 41 exsultent, imoque ruant de pectore luctus,

42 laetam atque ingenti gaudentem lumine cerno ;
 43 nec satis est : radios divinis viribus urget
 44 corque meum dulci perfundit saeva dolore :
 45 nec clam est composta polo residetque sereno
 46 exaltata toro ; camposque et cuncta tuetur,
 47 datque pecus messemque mihi, pellitque leaenas ;
 48 sed quia complexus non dat formosa petenti,
 49 hinc mihi descindi pectus mucrone videtur.
 50 Ah quotiens, Corydon, rabidis cum dentibus herbas
 51 divulsi quae saepe jocos spectare solebant !
 52 Et quotiens, somnos caperent dum caetera, lecto
 53 emicui, et magna consortem voce vocavi !
 54 Senserunt Satyri, respondit vallibus Echo :
 55 illa meos gemitus repetens lasciva dolorem
 56 instigare meum mentemque instare videtur.
 57 Et quotiens dixi : "Fer opem, sanctissima conjunx ! "
 58 Ipsa quoque ingeminat : "Fer opem, sanctissima conjunx ! "
 59 "Desine", si dixi, "vacuis e vocibus, Echo,
 60 et miserere mei, lacrimas ne temne pudicas ! "
 61 Illa eadem repetens raucum de collibus effert ;
 62 tunc gemitus crevere mei, tunc pectora rupi
 63 unguibus, et miseris resonarunt saxa querellis !
 64 Sic rident mea fata dei. Quis ferre petenti
 65 possit opem, Superi si nostra pericula rident ?
 66 Oh Corydon, casto dulcis medicina dolori
 67 mecum instaurato lacrimis et munere Nymphae,
 68 aspice nigrantes viridi sub rupe bidentes
 69 quae carpunt flores et ventrem floribus implent :
 70 ipse pyram statuas, jugulum mucrone resolve ;
 71 namque ego sacra canam, violasque et lilia saxo
 72 imponam, nidorque poli penetrabit ad orbem.

CHORIDON

73 O felix conjunx tantis celebrata mariti
 74 carminibus lacrimisque piis peplisque pudicis !
 75 At mea quam felix fuerit Galathea profecto
 76 et sapis, et dulce est nostri meminisse doloris.
 77 Illa polum volvens post tot me lustra loquentem
 78 respicit, et nostros ridet formosa labores ;
 79 illa etiam, memini, dum nos suspiria vexant
 80 subridet, luctusque pio compescit ocello ;
 81 at tibi nec tempus lachrimas nec fata negabunt.
 82 Heu, mihi disce pati quo sis, Philarete, superstes.
 83 Per multos casus, per mille pericula rerum,
 84 currimus, et lento sequitur Mors dira volatu ;
 85 si risus nos forte rapit, vestigia Parcae
 86 compescunt, mordentque pedes, tacitoque latescunt.
 87 Siste animum, lacrimasque tuas contemne. Volenti
 88 cuncta parent, nullo violantur corda flagello.
 89 Divitias quondam se contempsisse Tibullus
 90 exsultat, carae propter connubia nymphae ;
 91 atque suam multa cantavit voce Catullus ;
 92 et flevere ambo nympharum morte suarum.
 93 Ipse pater vatum, quem dirus portitor Orci
 94 viderat Eurydicem dira revocare palude,
 95 flevit per septem tam saeva pericula menses

96 Strymonis ad fluctus, tigres quercusque trahendo.
 97 Quod si nostra licet scriptis praeponere priscis,
 98 et Pastor Perusinus obiit, socerique putatur
 99 interiisse dolis dum pascua laeta relinquit,
 100 Parthenopemque petit Regis ducturus in agros
 101 armentum pretiumque sui sumpturus honoris ;
 102 rex captum immerita mactavit caede bipenne.
 103 Di faciant possis mortales cernere casus,
 104 et spectare neces dirumque in corde venenum !
 105 Heu, gemitus compesce tuos semperque cruorem
 106 funde manu, et divos fumo precibusque remulce.
 107 Ecce, pyram struxere tui, Philarete, puelli ;
 108 da pecudes flammis gelido quoque lilia saxo,
 109 daque preces, Nymphaeque polo gratare receptae.

PHILARETUS

110 Accingor, semperque tibi, dum fata relinquent,
 111 auscultare juvat, sanctisque insistere planctis ;
 112 qua te cumque tulit, Corydon, Fortuna poetam
 113 consequar, ut virides stringant mea tempora laurus.
 114 Spectabit ridens cantantem multa maritum
 115 Margarita suum, mediisque in solibus umbram
 116 conficiet, dirosque exstinguet fronte cometas ;
 117 in quamcumque poli convertet lumina partem
 118 diffugient radii diversa parte sinistri ;
 119 gramina si forsani dulci spectabit ocello
 120 producent violas, Cereremque prata pudicam
 121 exponent, steriles portabunt poma myricae,
 122 et fundent tristes redolentia pocula quercus.
 123 Felices qui te quondam genuere parentes,
 124 et tenerae si qua porrexerit ubera nutrix !
 125 Atque ego longe magis, qui strinxi colla lacertis,
 126 dormivique sinu roseo, qui basia vultu
 127 eripui, et feci risus, sicque omina tecum.
 128 Tu mox cerne animum, summaque ex arce maritum
 129 respice et interdum justo succurre dolori.
 130 Sis mecum, somnos capiunt si pectora luctu
 131 lassa suo, mecumque veri si lumina risus
 132 corripiunt, mecum noctes semperque diesque
 133 assistas, mecumque mane, et si fata resolvant
 134 stamina tam multo nimium lassata labore,
 135 accipias caelo, tuaque ad vestigia ponas !
 136 Mors mihi dulcis erit, faciant modo sidera corpus
 137 exanimum tangant formosae conjugis ossa.
 138 Ornentur tenui tam dulcia funera versu :
 139 "Hoc, Philarete, jaces cara cum conjugis saxo ;
 140 quamque fidem - pulchram facerent cum stamina vitam -
 141 servares, dira consumptus morte monebis
 142 candida fama tamen ; post saecula cuncta superstes
 143 persolvat stabili dignissima praemia flammae."